

419

417

423

413

428

408

468

368

318

Ende

Anfang

404

sicut virgula fumi ascendens gracilis et delicata, diversis iam extenuata disciplinis, et concremata intus incendio pii amoris, et cum ineffabili desiderio tendit festiva ad montis sancti Oliveti cacumen, unde descenderat regrediens ad locum ascensionis Domini, ad quem tamquam iam ad filium ascensura migrabat. Ubi dum esset, vestigia praedicta crebris demulcebat osculis, et nunc oculos nunc manus in coelum levabat, et multis gaudiis ibi afficiebatur ex eo, quod ibi filio suo et sibi maximus honor fuit exhibitus, quando caro illa, quam ipsa genuerat, super omnes coelos abhinc fuit exaltata. Hoc loco derelicto domum redire satagebat, et montem descendit in loco, in quo apostoli symbolum, quod ipsa eos docuerat considerunt, ibique paululum stabat pro fidei cultoribus orans. Inde progrediens ad locum, ubi Dominus docuerat Pater noster, stetit, et dicta oratione eadem progressa, in loco, ubi octo beatitudines fuerunt praedicatae, gratias egit. Et inde in locum descendit, in quo Christus cum discipulis sedens terribilia extremi judicii eis praedixit, et ibi oratione pro clementi adventu fusa, progressa ad illud domicilium venit, in quo superius in exordio peregrinationis beatissimae Virginis Mariae dixi fuisse locum suae pausationis et respirationis. Tempore enim vitae beatissimae Virginis Mariae stabat ibi domicilium, in quo habitabant boni pauperes homines, qui videntes sedulum virginis transitum ipsam invitaverunt, ut in umbra sedens refrigerium acciperet, quae frequenter egressa resedit, pausavit et virgineis ac delicatis membris quietem tribuit. Et quamvis ex labore fessa et lassa non fuerit, ex privilegio, hoc tamen privilegium ex humilitate celavit, sicut privilegium virginitatis in purificatione, et privilegium immunitatis a dolore in suis extremis quod etiam celavit decumbens lectulo ut infirma, ut patet fol. 105. A. Resumtis ergo viribus, non deperditis, sed suspensis in loco praedicto, descendit ad montis radices in vallem, et ibi visitatis sepulchris quorundam prophetarum ad sepulchrum sui castissimi sponsi et (155 A) mariti, sancti Joseph, pervenit, qui ibi in foramine petrae erat sepultus, ante quod sepulchrum stans dulciter afficiebatur. Inde autem transito ponte torrentis reascendit in montem Syon, ubi dum esset, ascendit in locum,

